

Constituit preterea, ut die ascensionis domini processio agatur quotannis, illius circuitu castri progrediendo cum crucibus et cereis ad septemtrionalem ipsius monasterii plagam, ad beati apostoli Andreę aecclesiam, quasi ad alteram Bethaniam, quo fidelium turba harum benedictione munita cum gaudio remeet ad propria¹⁾.

21. Iam dicto autem Gauzfredo penitentia ducto, quapropter ab eo absoluto, in capite kalendarum Decembrium, pontificali in cathedra sublimatur venerabilis archipresul Gauzlinus cum universe plebis favoribus. Hactenus, quid egerit ante episcopatum, scripto tenetur insertum. Amodo, quae precipue nobilium oblationes virorum conlate sunt tempore huius piissimi Moysis²⁾ tabernaculo omnipotentis, non pigeat tradere posteris.

22. Primus Willelmus Belesmensis inter plurima suarum oblationum donaria sui iuris abbatiam, Longilegium³⁾ nuncupatam, huic Dei templo contulit corde devoto. Mox beatus antistes fratribus inibi repertis a nobisque illuc directis quendam nostre congregationis monachum probatissime vite prefecit virum, nomine Willelmum, utque paterna sollicitudine eos regeret atque instrueret mitissima amonuit allocutione⁴⁾.

23. Que enim congregatio de huius hominis Dei non sibi optaret preesse alumpnis? Quoque e pluribus pauca referam. Arnaldus, Guasco natione, clericus professione, postmodum monachus habitus mutatione, ad tantum pervenit regularis ordinis fastigium, ut ab eo consecratus Clariacensi coenobio subrogaretur.

24. Alii quoque duo, maxima profecto purioris vite luminaria, Felix et Teudo, modo consimili ab eo ordinati, expetunt fines Brittanice regionis; quorum sanctissimus institutor Benedictus, cuius meriti fuerit, ostensione didicere huius modi.

Sane horum unus, nomine Teudo, Rodonicensi peditus ab eo coenobio, ut mare transiturus navim ascendit, virga pastoralis regiminis, ab eodem amico Dei largita sibi, casu in aquam cecidit, nullique ultra comparuit. Quęsita per altos aequoris fluctus ferme duorum dierum cursu, nullo modo reperitur. Verumtamen cum iam aurora tertię diei inlucesceret ad patremque merens regredi cogitaret, tactus inspiratione divina, in orationem se prosternit prefatus abba, interque suorum precamina singultuum, tali expostulatione tendit ad dominum: 'Domine', inquit, 'Iesu Christe, si tuę dispensationis voluntate ad harum transeo fines terrarum, si etiam laudabilis magistri mei Benedicti vita in aliquo tibi umquam complacuit, iam nunc ostende de tua celesti sede placatus dilecti tui Benedicti interventione'. Et haec dicens in aquarumque fluentis oculorum

1) Cfr. Chronici veteris excerptum. Bouquet X, 215, D. (Delisle).

2) Hs.: Moysi. 3) Lonlai, Dioc. le Mans (Delisle). 4) Cfr. Mabillon, Ann. IV, 320 und 321 (Delisle).